

Papsturkunden in Frankreich. Band 5: Touraine, Anjou, Maine und Bretagne., Nr. 54

Innocentius episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Matheo abbati uenerabilis monasterii sancti Florentii confessoris, quod iuxta castrum Salmurum situm est, eiusque fratribus tam presentibus quam futuris regulariter substituendis in perpetuum. Rerum gestarum series ad hoc litterarum fidei committuntur, ne illarum ueritas posterorum memorie subtrahatur. Decisionem itaque litis, que inter uos et sanctimoniales de Nido Auium super loco, qui Nemus Herbaldi dicitur, in nostra presentia acta est, litteris mandari precepimus, ne aliqua inter uos turbationis occasio in posterum relinquatur. Aduersus sanctimoniales de loco, qui dicitur Nidus Auis, querimoniam uestram accepimus, quod locum uestrum, qui Nemus Herbaldi uocatur, uobis inuitis et ex parte nostra contradicentibus intrauerant et contra iusticiam occupauerant. Vnde missis litteris nostris eisdem sanctimonialibus diem prefiximus, quo nostro se conspectui presentarent et uobis super hoc responderent. Statuto ergo tempore tam tu, M. abbas, quam heedem sanctimoniales ante nostram presentiam conuenistis. Innouasti siquidem querimoniam tuam asserens, quod sanctimoniales prefatum locum in monasterii tui parrochia situm et a fundatoribus ipsius et dominis etiam fundi beato Florentio oblatum et concessum te et fratribus tuis inuitis et renitentibus, sicut supra dictum est, intrauerant et iniuste tenebant. Sanctimoniales uero, cum sua ratione se tueri non possent, responderunt, quod locum ipsum per Hvl(gerium) Andegauensem episcopum intrauerant et per eum ibi manebant. Respondens itaque pro ipsis episcopus dicebat, quod idem locus a domino ipsius fundi, G. uidelicet Fulcredo, antequam tu abbas uel monasterium tuum quicquam iuris ibi haberetis, sibi et ecclesie sancti Mauritii oblatus fuerat. Tu uero econtra respondisti, quod eadem concessio ad tuam noticiam nunquam peruererat et, si forte iuxta episcopi assertionem aliquando facta fuerat, idem episcopus, si quid iuris ibi haberet, tibi et monasterio tuo concesserat. Cum enim fratres, qui locum edificare ceperant, discordia inter eos emergente discessissent et idem episcopus assensu et consilio prefati Gaufridi canonicos regulares de Stella uellet substituere, contradixisti et, ne ipsis in eundem locum, quem iuris tui monasterii esse asserebas, poneret, prohibuisti. Episcopus uero fratres ipsis assensu tuo ibidem subinducere cupiens eodem G. Fulcredo consentiente concessit tibi, ut, si fratres illi inde discederent, locus ille in tua fratrumpque tuorum potestate libere remaneret. Quam concessionem et episcopus denegabat et, si forte facta fuerat, absque fratrump suorum conuentia de iure non ualere dicebat. Ad quod respondisti, quia idem episcopus presentibus clericis suis, Norm(anno) videlicet et Radulpho archidiaconis, Vasleto magistro scolarum et quibusdam aliis, et non contradicentibus concessionem ipsam fecerat et ad hoc comprobandum testes ydoneos produxisti. Quibus auditis et diligenter inquisitis communis fratrump nostrorum consilio iudicatum est, ut, si per tres ydoneos testes locum ipsum in parrochia ecclesie sancti Iohannis de Danazeio, qui beati Florentii iuris est, situm esse et eandem concessionem presentibus predictis clericis et non contradicentibus ab eodem episcopo factam fuisse probare posses, locus ipse tibi et aecclesie tuae quiete remaneret. Productis itaque in hunc modum testibus et susceptis ab eis sacramentis locum ipsum cum possessionibus suis beati Florentii monasterio perpetuo adiudicauimus et de ipso loco per cartam, quam in manu nostra tenebamus, te inuestiuimus. Eisdem uero sanctomialibus uiua uoce precepimus, ut et locum ipsum uobis iu pace dimitterent et priuilegium, quod a nobis exinde per subreptionem obtinuerant, absque contradictione redderent. Hanc itaque diffinitionis sententiam ratam et inconuulsam omnino atque inuiolabilem manere

decernimus et tam episcopo Andegauensi et clericis suis quam prefatis sanctimonialibus perpetuum in causa hac silentium imponimus. Si quis autem huius tenore cognito temere, quod absit, contraire temptauerit, secundo tercioue commonitus satisfecerit, officii sui periculo et nisi ecclesiastice seueritatis ultioni subiaceat. Amen. Amen. Amen.

R. Ego Innocentius catholice ecclesie episcopus ss. BV.

Ego Conradus Sabinensis episcopus ss.

Ego Albericus Hostiensis episcopus ss.

Ego Stephanus Prenestinus episcopus ss.

Ego Imarus Tusculanus episcopus ss.

Ego Guido sancte Romane ecclesie indignus sacerdos ss.

Ego Boetius presb. card. tit. sancti Clementis ss.

Ego Guido presb. card. tit. sancti Grisogoni ss.

Ego Rainerius presb. card. tit. sancte Prisce ss.

Ego Petrus presb. card. tit. Pastoris ss.

Ego Goizo presb. card. tit. sancte Cecilie ss.

Ego Gregorius diac. card. sanctorum Sergii et Bachi ss.

Ego Hu(m)baldus diac. card. sancte Marie in uia lata ss.

Ego Otto diac. card. sancti Georgii ad uelum aureum ss.

Ego Geraldus diac. card. sancte Marie in Domnica ss.

Dat. Lat. per manum Geraldi sancte Romane ecclesie presbiteri cardinalis ac bibliothecarii kal. febr., inductione VI, incarnationis dominice anno Mo. Co. XLo. Ilo, pontificatus uero domni Innocentii II pape anno XIII.